



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres  
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum  
omnibus Christi fidelibus, tum potissimùm Gratiarum Cœlestium,  
lucrorumque æternorum avidibus, quâ theoreticè, quâ practicè  
proponuntur

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066391**

Provisio 3. Per nostram Cooperationis quam Divinæ Gratiaæ atque Gloriæ  
summè debemus expletionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45462**

## PROVISIO III.

*Per nostræ cooperationis, quàm Divina Gratiæ atque Gloriæ summæ, debemus ex-pletionem.*

**C**onsidera; quod omnia opera tua sint quidem tua: quia à te liberâ voluntate tuâ fiunt, sint tamen etiam & quidem magis ac prius, opera & bona & dona ipsius Dei, tum quia ab ejus gratia sumunt initium, à quâ etiam prodeunt in actum ipsum cum tua voluntate, gratiæ cooperante: tum quia sunt DEI propria, utpotè cujus proprietatis & possessio est, omnis ubique reperibilis bonitas: siquidem *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursùm est descendens à Patre luminum.* Cùm ergo omnia tua bona opera DEI sint, & propter possessionem & propter operationem eorum ab ipso, juxta illud Isaia.

*Jac. 1. 17.*

*Isa. 26. 12.*

*Deut. 32. 4.*

*Domine omnia opera nostra, operatus es nobis,* sequitur, hæc eadem omnia tua opera, debere esse omni ex parte perfectæ, & absolutæ bonitatis. Etenim *Dei perfectæ sunt opera.* Quo si talia non sunt, quæ tua sunt, sed inveniuntur imperfecta & sordida, id necessè est à tua culpa provenire: provenire autem in DEI injuriam, & quidem non levem, inò nec unam. Quod enim à Deo, quantum ex parte illius, perfectissimè peragitur, & valdè bonum esse debet; hoc ex tua parte & culpâ, quatenus negligenter & sordidè cooperaris Deo, imperfectum invenitur, & sordidum tanquam pannus menstruatae reputatur. Atque ita impeditur à te, & per te, Divina in tuis operibus bonitas & perfectio, supponitur autem in ejus locum tua imperfectio, remanetque bonum

Divi-

Divinum, quantum ex te sordidum, vile & ingratum. Ex quo colligere debes, quanta tibi cura incumbat opera tua bona, bene, imò optimè operandi, sciens & videns eum modum, quo tu bona tua operaris, adjungi illi modo, quo DEUS eadem tua opera bona tecum operatur, & ita adjungi, ut non ex Divino, sed ex tuo operandi modo, pretium omne, bonitas, perfectio, dignitasque operibus imputetur. Quo fit, ut si tuus operandi bona modus egregius excellensque sit, etiam Dei opus tale sit, taleque ab ipsomet Deo reputetur. Si autem tuus operandi modus sit miser, languidus, tepore & imperfectionibus scatens, id quoque totum Divino operi, ab ipsomet Deo imputetur, nihilque profit ad meritum vel laudem operis, illud à Deo perfectissimè factum esse. Quod sitne Deo injuriosum? tu ipse judex esto.

Considera; ex omnibus operibus bonis tuis, Deo deberi gloriam & quidem maximam, & planè omnem. Non ex illo solùm capite, quia tu quidquid agis, totum in Dei bonum, scilicet gloriam honoremque & obsequium agere debes, quandoquidem quantus quantus es, in substantia & entitate, in partibus & potentiis, in efficientia & actionibus operationibusque totaliter Dei possessio es, perinde ut qui agri, vel arboris Dominus est, is etiam omnium quæ ager & arbor germinat possessor est: verum etiam ex illo jam proximo proposito capite: quia DEUS omnia tua opera tecum operatur, operatur autem in suam ipsius gloriam, dicente ipso. *Propter me, propter me faciam.* Et quia Deus non potest gloriam suam quærere minorem, nisi quantâ

*Isa. 48. 11.*

quantâ ipse dignus est, inde fit, ut in omnibus suis operibus (etiam illis quæ tecum operatur, & in quibus tibi cooperatur) Deus maximam, atque ad eò omnem gloriam intendat & quærat. Inde etiam consequenter fit, quod tu (idemque sensus esse debet de omni creatura) in omni opere tuo tenearis intendere & quærere gloriam Dei, & quidem maximam, atque omnem, fit quoque inde, quod modus tuus opera tua operandi (Divinæ præsertim cooperationi sociatus, ad Dei que gloriam institutus) is esse debeat, qui & cooperationem Divinam non dedecet neque dedecoret, & gloriam Deo non tantum qualem qualem, sed maximam, sed omninò omnem quantum ex se proferat & producat. Hoc verò non tantum in gravissimis aliquibus, quæ à te fiunt operibus servandum venit, sed in omnibus omninò singulisque operibus tuis, etiam minutulis, & specie sua abjectissimis (coram Deo enim nihil est abjectum, excepto solo peccato, siquidem DEUS omnium est Author & Pater atque fons) procurandum est, quoniam etiam talium operum, nihil non ad gloriam Dei maximam, & omnem factitandum est. Quod si ita se habet, uti omninò habet, jam hinc videre evidenter potes, cum quàm accurata contentione, cum quàm liberali conatu omnia opera tua facere, quanta vigilantia omnem imperfectionem, imperfectionisque umbram ab omnibus tuis operibus & operationibus submovere debeas, quandoquidem quantum addes de perfectione operandi, tantum addes de gloriæ Divinæ summitate, quantum verò admiscebis de imperfectione, imò verò, si quid admiscebis de  
 umbra

umbra imperfectionis in operando & in opere, fortè quidem parum aliquid gloriæ Divinæ servies, aut addes, infinitum autem erit illud quod detrahes: quoniam Divina gloria illa maxima, illa omnis est, quæ infinita est.

Quod an sine injuria Dei esse possit, tibi judicandum sume. Cùm verò rectè & sobriè judicaveris, retorque oculos mentis tuæ ad præteritos vitæ tuæ annos, & ad opera eorum, & ad operationis modos. Et non obtrude tibi nunc peccaminosa opera: sed ipsa opera tua, ipsa obsequii Divini operatua expende, & ex supra dictis eorum qualitatem recognosce: nimirum ex tot (& fac esse quàm plurima) quàm multa sint indigna & injuriosa DEO gloriæque ipsius; quàm verò pauca, si tamen vel pauca sint, Deo condignè digna, Deo condignè gloriosa. Post hæc verò eosdem mentis oculos dirige ad sequentes residuosque vitæ tuæ annos: & tecum ipse deliberationem conclusionemque facito, an tibi deinceps, juxta præteritæ vitæ normam operandum Deoque serviendum sit? an omnem omnino aliam, novam, per omnia perfectiorem perfectissimamque operandi rationem, DEO condignam, Dei gloriæ maximæ, omnisque fœcundam, ineundam, tenendam, exercendamque in omnibus & singulis operibus & operationibus, in omnibus & singulis residuæ vitæ particulis? quoniam exiguæ, breves, evolantesque sunt, neque aliarum præter has sive post has, ulla spes, ulla expectatio est.

PRO-